



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Divi Avrelii Avgvstini Hippon. Episcopi Meditationes, Soliloquia et Manuale

Augustinus, Aurelius

Coloniae Agrippinae, 1649

De miseria hominis, horrore mortis & districtione judicis supremi, 2

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54885](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54885)

amor, sive dilectio, quæ excellentior voluntas est. Dilectio namque donum Domini est, ita quod nullum hoc dono Dei est excellentius. Dilectio namque quæ ex Deo est, & Deus est, proprie Spiritus sanctus dicitur, per quem charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per quem tota Trinitas in nobis habitat.

CAPVT II.

De miseria hominis, horrore mortis, & distributione supremi iudicis.

I. **S**ecundum exteriorem hominem, de parentibus illis venio, qui me ante fecerunt damnatum, quam natum. Peccatores peccatorem in peccato suo genuerunt, & de peccato nutriverunt. Miseri miserum in hanc lucis miseriam induxerunt. Nihil ex eis habeo, nisi miseriam, & peccatum, & corruptibile hoc corpus, quod gesso. Ad illos vero festino, qui morte corporis hinc exierunt. Cum eorum sepulchra respicio, non inuenio in eis nisi cinerem & vermem, factorem & horrorem. Quod ego sum, ipsi fuerunt: & quod ipsi sunt, ego ero. Quid sum ego? Homo de humore liquido. Fui enim in momento conceptionis de humano semine conceptus: deinde spuma illi coagulata modicum crescendo caro facta est. Postea plorans & ejulans traditus sum hujus mundi exilio; & ecce jam morior plenus iniquitatibus, & abominationibus. Iam jam præsentabor ante districtum iudicem, de operibus meis rationem redditurus.

2. Væ

2. Væ mihi misero, cum venerit dies illa iudicii, & aperti fuerint libri, in quibus omnes mei actus & cogitationes, Domino præsentandæ, recitabuntur. Tunc demisso capite, præ confusione malæ conscientiæ, in iudicio coram Domino stabo trepidus & anxius; utpote commemorans scelerum commissa meorum. Et cum dicetur de me: Ecce homo & opera ejus; reducam ante oculos omnia delicta & peccata mea. Quadam namque vi divina fiet, cuique sua opera, bona vel mala, in memoriam revocentur, & mentis intuitu mira celeritate cernantur, ut accuset vel excuset scientia conscientiam; atque ita simul & singuli, & omnes judicentur.

Iudicium faciet gestorum quisque suorum.

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

Quod enim nunc confiteri erubescimus, tunc omnibus manifestabitur: & quicquid hic dissimulando palpamus, totum illic vindex flamma comburet.

Ignis ubique ferox ruptis regnabit habenis.

Quantoque diutius Deus nos expectat, ut emendemus, tanto districtius judicabit, si neglexerimus.

3. Cur ergo tantopere vitam istam desideramus, in qua quanto amplius vivimus, tanto plus peccamus? Quanto est vita longior, tanto culpa numerosior. Quotidie namque crescunt mala & subtrahuntur bona; assidue variatur homo per prospera & adversa, & ignorat quando moriatur. Sicut enim in celo stella coruscans velociter currit, & repente deficit; & sicut scintilla ignis subito extinguatur, & in cinerem redigitur: *Sic*

Sic cito finitam datur istam cernere vitam.

Dum enim libenter ac jocundissime moratur homo in mundo, diuque se victurum arbitratur,

Ac multa in longum disponit tempus agenda,
subito rapitur in mortem, & ex improvise anima auferitur à corpore. Verumtamen, cum magno metu, magnisque doloribus, anima separatur à corpore. Veniunt enim Angeli assumere illam, ut perducant eam ante tribunal iudicis metuendi. Et tunc illa memorans opera sua mala & pessima, quæ diu noctuque gessit, contremiscit, & quarit illa fugere, induciasque petere, dicens: Date mihi vel unius horæ spatium.

4. Tunc quasi loquentia simul opera dicent: Tu nos egisti, opera tua sumus: non te deseremus, sed tecum semper erimus, tecum pergemus ad iudicium. Vitia quoque multis & multiplicibus criminibus eam accusabunt, multaque falsa testimonia adversus illam invenient, quanquam vera ad damnationem ejus satis possent sufficere. Dæmones vero terribili vultu & horribili aspectu eam terrebunt. Ingenti furore eam persequentur & comprehendent, tam terribiliter quam horribiliter, volentes retinere & possidere, nisi sit qui eripiat. Tunc anima inveniens oculos clausos, & os, aliosque corporis sensus, per quos solebat egredi & delectari in his exterioribus, revertetur ad se, & videns se solam & nudam, ingenti horrore concussa, desperatione deficiet in se, & cadet sub se. Et quia amore mundi & carnis

nis voluptate, Dei amorem dereliquerat; derelinquetur à Deo misera, in hora tanta necessitatis, atque dæmonibus tradetur in inferno crucianda. Sic anima peccatoris in die qua ignorat, & hora qua nescit, rapitur à morte, & segregatur à corpore, pergitque miseriis plena, tremens & dolens. Et cum nullam excusationem habeat, quam pro peccatis suis possit obtendere, contabescit & pertimescit ante Deum apparere.

4. Ingenti horrore concutitur, & multiplicibus cogitationum æstibus agitur, cum urgente solutione carnis, & subductis è medio omnibus, se & illum terminum considerat, cui appropinquat, & post paululum hoc invenit, quod in perpetuum mutari non poterit. Considerat plane, quam districtus veniat aternus iudex; & ante severitatem tantæ justitiæ quas rationes vitæ suæ ponat. Si enim cuncta opera, quæ intelligere potuit, devitavit; ventura tamen coram districto iudice, illa magis quæ in semetipsa non intelligit, pertimescit. Crescit pavor cum cogitat, quod viam vitæ hujus nequam sine culpa transire potuit. Nec hoc quidem, quod laudabiliter vixit, sine aliquo reatu est, si remota pietate judicetur. Quis enim considerare valeat, quanta mala per momenta temporum perpetramus, & quanta bona facere negligimus? Sicut enim peccatum est perpetratio mali, sic delictum est desertio boni. Gravis siquidem jactura est, cum nec bona facimus, nec bona cogitamus, sed cor nostrum per vana & inuti-

inutilia finimus vagari. Nimis tamen difficile est cor tenere, & ab illicita cogitatione fervare. Nimis etiam difficile est terrenas occupationes absque peccatis ministrare. Quapropter nullus semetipsum dijudicare & comprehendere perfecte potest: sed multis cogitationibus occupatus, sibimetipsi aliquo modo manet incognitus, ut omnino quod tolerat, nesciat. Propterea urgente exitu subtiliori terretur metu, quia etsi illa quæ scivit, nunquam se prætermisisse meminit, formidat tamen ea quæ nescit.

CAPVT III.

De dignitate animæ & vilitate corporis.

1. **O** Anima, Dei insignita imagine, decorata similitudine, desponsata fide, dotata spiritu, redempta sanguine, deputata cum Angelis, capax beatitudinis, hæres bonitatis, rationis particeps, quid tibi cum carne, unde ista pateris? Propter carnem, aliena peccata tibi imputantur: & tuæ iustitiæ quasi pannus menstruatus reputantur: atque tu ipsa ad nihilum es redacta, & quasi nihilum & inane reputata: Nihil aliud est caro (cum qua tanta est tibi societas) nisi spuma caro facta, fragili vestita decore: sed erit, quando erit cadaver miserum & putridum, cibus vermium. Nam quantumcumque excolatur, semper caro est. Si diligenter consideres, quid per os, & nares, cæterosque corporis meatus egrediatur, vilius sterquilinum nunquam vidisti. Si singulas ejus miseria